

DEDUCE  
MEDITATIO S. EVANGELII

DOMINICÆ XXI.  
POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textûs, cum opus est,  
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

*In Regia Aboënsi Academia.*

PRÆSIDE

DN. ÆSCHILLO PETRÆO,  
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis eju-  
dem Pastore:

*Examini subijcit, in Auditorio Majori, horis solitis*

*Ad diem 27 Mart. Anno 1652.*

JACOBUS MARTINI LAXENIUS Ost-Both.

*August. in tract. 16. in Iohan.*

In hodierna Evangelica lectione sensus non sunt investigatione difficiles: Sed digni præ-  
dicatione, digni admiratione & laudatione. Proinde locum istum Evangelii  
cum commendatione commemoremus potius, quam eum difficultate tractes-  
mus.

*Euthym.*

Cognoscamus & nos, firmiterq; credamus, quia in hac hora, in hoc tempore, hora ipsa  
præfinito, in hoc tempore ante tempora prædefinito, venit Jesus & pro nobis  
passus præcepit, ut vivamus, & ulterius non moriamur, sed sani & immortales  
ad cælestia regna transferamur.

A B O Æ,

---

*Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1652.*

DOMINICUS  
POST-TRINITATIS

Adhuc 21. annu. dicitur. O. r. s. f. i. o.

in hunc modum. Adhuc 21. annu. dicitur.

DR. JOHANNES PETRUS  
in hunc modum. Adhuc 21. annu. dicitur.

JACOBUS MARTINI LAMINI CR. H. O.

in hunc modum. Adhuc 21. annu. dicitur.

in hunc modum. Adhuc 21. annu. dicitur.

XX  
OOOOOOO.OOOOOOOOOO.OOOOOO.OOOOOOOO  
XX

MEDITATIO TEXTUS  
**DOMINICÆ XXI. POST  
TRINITATIS.**

In Sanctæ & Summæ Laudandæ Trinitatis, Patris, filii,  
& Spiritus Sancti Nomine.

**B***enedictus Dominus: Quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipso speravit cor meum, & ad-  
iutus sum. Et restoruit caro mea: Et ex voluntate mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis sue  
Et protector Salvationum Christi sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ:  
Et rege eos, & extolle illos usq; in æternum. Psal.*

28. 6. 7. 8. 9. His verbis Psalmista indicat se diligenter & serio invocasse Dominum in peculiari quadam necessitate, & se fuisse clementer exauditum, propterea etiam laudat Dominum. 2. Refert quomodo Deus se gesserit erga Davidem quamdiu in necessitate illa erat constitutus; Videlicet quomodo Dominus fuerit fortitudo eius Deus ipsum in summis infirmitatibus sustentavit, Deus erat ei instar clypei, quod omnes tentationum ictus innoxie excipere poterit donec vinceret. 3. Dicit etiam se sperasse in Deum vivum quamvis auxilium deferretur. 4. Ostendat se jam gaudere quod speraverit in Dominum quod non defecerit à Deo sed ad finem perseveraverit donec auxilium senserit. Tales Psalmista in ex-

petendo auxilio Dei constantia & perseverantia nobis  
quoq; necessaria est. id quod etiam docetur in hodie-  
ro Evangelio.

**O** Remus autem Deum, ut hodiernum Evangelium ita medi-  
tari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in  
augmentum & incrementum doctrinae, & honorum operum, in  
spem & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem: Dis-  
camus igitur, Pater noster, &c.

E V A N G E L. Johan. 4. v. 47.

**E** Terat quidam regulus, cujus filius infirmabatur  
Capernaum. Hic quum audisset, quod Jesus ad-  
venisset, à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogas-  
bat eum ut descenderet, ac sanaret ipsius filium: Siqui-  
dem is agebat animam. Dixit ergò Jesus ad eum,  
Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit  
ad eum regulus, Domine, descende priusquam moria-  
tur filius meus. Dicit ei Jesus, vade, filius tuus vi-  
vit. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Jesus,  
& ibat. Jam autem eo descendente, servi occurre-  
runt ei, & nunciaverunt, dicentes, filius tuus vivit.  
Sciscitatus ergò horam ab eis, in quâ melius habuisset:  
Et dixerunt ei, heri horâ Septimâ reliquit eum febris.  
Cognovit ergò Pater, quod illa hora erat, in qua dixisset  
sibi Jesus, filius tuus vivit, & credidit ipse, & do-  
mus ejus tota. Hoc iterum secundum signum edidit  
Jesus, quum venisset à Judæa in Galilæam.

Com

**C**ommemorat Evangelista regulum quendam Caper-  
naum ob morbum filij sui Christum in Galilæa tum cõ-  
stitutũ accessisse & petijit ut descenderet & Sanaret filiũ  
suum. Tũ Christus non nihil arguit illũ quod cupidus erat  
signorum & miraculorum quam par erat, & tardior erat  
ad fidem adhibendam ejus doctrinã. Deindẽ cum in  
petitione sua perseverasset, dicens: Domine descende  
priusquam moriatur filius meus, consolatur eum Chri-  
stus jubens eum abire non dubitans, quin filius ejus vivat.  
Comperiens autem Christi promissionem quã victurum  
pollicebatur filium, impletum esse eã quidem botã,  
quã Christus dixit, filius tuus vivit, mox cre-  
didit in Christum, totamq; suam domum ad fidem con-  
vertit.

Admonemur in hoc Evangelio secundi Præcepti  
Decalogi, & de vero usu nominis Divini quod illud invo-  
candum sit in omni necessitate, non quærendum auxiliũ  
à Diabolo, Magis & incantatoribus. Confirmatur fides  
nostra in secundo Articulo de Christi divinitate. In hoc  
quod etiam absentem à se ægrotum & moribundum sa-  
nitati restituat. Excitamur enim ad orandum Panem  
quotidianum da nobis hodiẽ. Qui ergo sanitas portio  
est panis quotidiani idcirco illa à Deo petenda.

#### P A R T E S.

1. *De Christi benignitate erga hunc regulum in  
Sanando ejus filio.*
2. *De reguli hujus gratitudine credentis in Chri-  
stum & convertentis totam domum suam ad fi-  
dem Christi.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus; *Omnipotens & æternus Deus, Pater noster cælestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

## P A R S P R I M A.

In qua meditamur:

### I. Statum & vitæ genus hujus

hominis. In quo officio fuerit hic qui ad Christum venit, indicat S. Evang; Dicens, ipsum fuisse regulum, hoc est virum Singulari autoritate pollentem & Regis vices gerentem in Galilæa. Hic propterea in magno honore habebatur & estimatione, & nihilominus indiget Christi auxilio. Habuit enim domi ægrotum filium quem ullo consilio vel medicamentis à vi morbi liberare poterit multo minus ab ipsa morte, cum ergò ipse esset expertus consilij nesciens quid faceret Christum adit auxilium petens.

L. C. Nullus est tam dives, nullus in tanta eminentia quin opus habeat divino auxilio. Nemo itaq; inde se extollat, quod sit supra alios positus, non enim propterea liber est à morbis, multo minus à morte ipsa, id quod indicat Syrach. cap: 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis: Residentes super sedem gloriosam, usq; ad humiliatum in terra & cinere: Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usq; ad eum qui operitur lino erudo. Furor, Zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia

per;

perseverans, & contentio, & in tempore refectionis in  
subili somnus noctis immutat scientiam ejus. Modicum  
tanquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die  
respectus. Conturbatus est in visu cordis sui, tanquam  
qui evaserit in die belli in tempore salutis suæ exurrexit  
& admirans ad nullum timorem. Cum omni carne,  
ab homine ad usq; pecus, & super peccatores septuplum:  
Ad hæc mors, sanguis, contentio, & romphæa, oppressi-  
ones, fames, & contritio, & flagella: Super iniquos crea-  
ta sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus  
Omnia enim quæ de terra sunt, in terram convertentur,  
& omnes aquæ in mare convertentur. Quare tutissimū  
est soli Deo confidere Psal. 2. Beati omnes qui confidunt  
ei. Discant etiam in eminentia constituti, Deo confidere  
non sibi ipsis. Discant etiam alij qui sub eis sunt Domi-  
no confidere & non principibus, Psal. 145. Lauda ani-  
ma mea Dominum laudabo Dominū in vita mea, Psal-  
lam, Deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in prin-  
cipibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exie-  
bit Spiritus ejus, & revertetur in terram suā: in illa die. Pe-  
ribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cujus Deus Ja-  
cob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipse: Qui  
fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt,  
Qui custodit veritatem in seculum, facit judicium inju-  
riam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus  
solvit compeditos: Dominus illuminat cæcos:  
Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos. Domi-  
nus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: Et  
vias peccatorum disperdet. Regnabit Dominus in se-  
cula, Deus tuus sion, in generatione & generationem.

II. Causam impulsivam ad

ventus reguli ad Christum. Hanc indicat Evang. Dicens, cum orasse Christum ut descenderet & sanaret nris an ejus qui jam erat moriturus, fuit ergo hic regulus paterfamilias, vixit in honesto conjugio, in quo etiam crucem domesticam satis gravem portare coactus est videlicet morbum filij sui. Sub hac itaq; cruce constitutus perguit ad Christum ut liberetur filius a morbo & non moriatur. Tristitia itaq; & calamitas domestica ipsum ad Christum confugere coegit.

L. C. Apparet verum esse quod Salomon dicit Eccl. cap. 7. v. 3. 4. 5. Patet utilitas crucis & calamitatis. Finis calamitatis bonus est. 1. Quia finis earum bonus est. Psal. 119: 71. Bonum est mihi, Domine: quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas. Rom. 5: 5. Gloriamur etiam in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Rom. 8: 28. Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 2. Quia leves & momentaneæ sunt: collatæ ad subsequutura æterna bona, Rom. 8: 18. Existimo, quo non sunt condignæ passionibus hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, 1 Cor. 4: 17. Momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur sed quæ non videntur. Psal. 30: 6. Momentum indignatio ejus, quoniam vita delectatur, vesperi durabit fletus, & manebit lætitia.

**III. Reguli modum intercedendi pro filio a groto.** Hanc indicat Evang. Dicens: Erat regulus cujus filius infirmabatur Capernaum, hic cum



cum audisset quod Jesus adveniret à Judæa in Galilæam abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet & sanaret filium ejus. Idem repetit regulus dicens: Domine descende priusquam natiatur filius meus. Transcripsit hic regulus Christo modum quo potavit Christum potuisse sanare filium ejus: Videlicet si descenderet tecum domum, inspiceret filium, manum imponderet vel alijs ceremonijs uteretur. Non existimat Christum aliter posse sanare ejus filium. Non habet hanc fidem quod Christus absens posset sanare filium, sicuti hoc credidit centurio ille pro servo, intercedente quod Christus absens verbo paralyticum sanare potuisset, Matth. 8. Non sum dignus ut subeas tectum meum, dic tantum verbum & sanabitur servus meus. Nihilominus Christus huic Regulo studet benefacere & auxilium conferre. Postquam enim paternè eum admonuisset de hac infirmitate fidei & signorum desiderio, dicens: nisi signa & prodigia videritis non creditis: mox subjungit consolationem, Dicens: Vade filius tuus vivit.

L. C. 1. Quotidiè orandus est Deus ut fidem infirmam adaugeat solidiorem & firmiorem in nobis faciat. Adversarius enim noster Eph. 6. dicitur princeps mundi quoniam non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi Dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, &c. Hic Princeps regit mundum, furit contra pios in Christum credentes atrocibus modis, & studet labefactare & evertere fidem in cordibus. Quia videt per scutum omnia jacula sua ignita extingvi, ideò præcipuè fidei insidiatur Diabolus, quæ quam primum in corde accensa est, mox eam extingvere, varijs modis conatur. Novit enim quantum ipsius regnum detrimenti ex hoc fidei

scuto capiat, Ideò tam seriò tueretur suum regnum, & studeat omnia servare sub suo imperio salva & integra. Certum igitur & manifestum est, quòprimò in homine per Spiritum S. fides accensa est, mox tentationes & persecutiones oriri, quod nisi fiat, signum est, fidem non esse veram, nec cor recte apprehendisse Evangelij lucem. Habet enim hic latro lynceos oculos, mox videt, in quo corde fides vera accensa sit, ideò quibus potest modis pios oppugnat, ut eos evertat, & sic regnum suum stabiliat. Ideò valde periculosum est v. vere securos, non esse sobrios, non vigilare adversus tam vigilantem hostem; qui cum minimè putes, opprimit, id quod etiam aliquot magnis sanctis, recte tenentibus verbum Dei, contingit, ut cum sibi stare videntur & securi esse, mox de improvviso adest hostis, & tamdiu cum eis luctatur ac pugnat, donec præcipites evertat. Exempla plurima sunt in conspectu magnorum hominum, Mose, Aaronis & Principum populi Judaici, quorum pulchra & firma fides erat, cum populum ex Ægypto educerent, & totus populus per mare rubrum, per mortem in fide transiret, & per multa alia miracula fidem suam ostenderet. Postremum vero in hoc peccant & labuntur, cum quo & cætera omnia ruunt, cum metuunt, ne in deserto fame & siti ipsis perendum sit. An non res misera est, ostendisse in rebus magnis & mirandis fidem suam, transisse, & vicisse tandem mortem? Cum autem sic robusti starent, & securi nihil sibi amplius metuendum esse putarent, impulsus à Diabolo ruunt victi à solitudine victus & ventris murmurant contra Deum, & tam graviter oppugnantur, ut omnes labantur & cadant & in deserto prosterantur, 1. Cor. 10

L. C. 2. Tametsi Dominus increpet hunc aulicum

pro-

propter imbecillitatem fidei, non tamen ipsum abiciat. Nam ut humanæ fragilitatis est conscius Dominus: ita novit se in mundum venisse infirmorum causa ut ipso- rum medeatur infirmitati. Non habemus ait autor E- pistolæ ad Heb. 4: 15. Pontificem, qui non p[ro] sit affi- ci sentu infirmitatum nostrarum; sed tentatum per o- mia. Ut ergo hic aulicus petens, etsi est infirmus va- de non rejicitur: ita nos statuamus de nobis, quod tametsi sæpe hæsitaciones tristes in nobis suboriantur: tamen non abiciamur modo prorsus non deficimus, sed retine- mus fidei initium & scintillam, Marc. 9: 24. Pater Dces- moniaci intercedens pro filio cum interrogatur, n[on] possit credere resp[on]det: Credo D[omi]ne, succurre infirmitati meæ. Et sæpe objurgantur discipuli Domini tanquã modicæ fi- dei seu parum fideles, Matth. 6: 30. Deus vestit herbam agri, multo magis vos parum fideles, Matth. 8: 26. Quid timidi estis parum fideles? Matth. 14: 31. Petro ait: Qua- re dubitasti parum fidelis? Matth. 16: 8. Discipulis om- nis ait: Quid cogitatis inter vos parum fideles? Hinc est quod Paulus ad Rom. 14: 3. De infirmo dicat: Deus cum recepit; ita etiam hoc loco, etsi in hoc regulo infir- mitas fidei taxatur hisce verbis: Nisi signa & prodigia videritis n[on] creditis: t[ame]n recipitur & exauditur. Ver[um] in hac infirmitate non mansit, sed superata est tandem hæc in- firmas miraculo, & concepta est firma fiducia. Atq[ue] ita in omnibus sanctis initia sunt infirmiora, quæ exerci- tijs paulatim crescunt.

## SECUNDA PARS.

**I**N prima parte manifesta fuit Christi benignitas & bonitas erga hunc regulum mœstum & tristem pa- trem nec non ejus agrotum filium: In hac altera par-

te parebit reguli & totius familiae ejus pietas & gratitudo.

In qua meditamur;

## I. Regulum credentem ver-

bis Christi, Dixerat Christus: Vade filius tuus vivit. Huius sermoni credidit & ivit. Non ulterius cunctatur non disputat de veritate & virtute verbi Christi, sed simpliciter fidem habet & læto animo domum pergit, ostendens se verbo Christi ita initi ut amplius non dubitet de illo, & jam ita multum proficisse in viâ salutis. Quod etiam Dei beneficium magnum erat.

L. C. Quando sentimus profectum in nobis fidei, agnoscamus hoc pro magno Dei beneficio. Ideo fiunt miracula & dantur divinitus beneficia, ut agnoscamus, ea divinitus dari, & invitati illis beneficijs, confirmemur in fide, sicuti multa scripturæ testimonia passim extant, & Moyses dicit Deut. 4. Hæc signa & prodigia fecit Dominus Deus noster videntibus oculis nostris, ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum. Item: Ista fecit Deus ut credatis in ipsum. Exhibet Deus miracula, ut confirmet fidem sed multi homines oblii beneficiorum fiunt deteriores. Sed exemplo hujus regij cogitemus beneficia à Deo nobis exhibita, & Deo simus grati. Non solum ipse credit, sed & doctrinam de Messia promisso, salvatore generis humani tradit suæ familiae, ut suam erga Deum gratitudinẽ ostendat, sic ut & David promittit gratitudinem Deo, cum Psal. 51. v. 15. Inquit: Docebo iniquos vias tuas, ut peccatores ad te convertantur, quasi dicat: quia tu Deus me convertisti, docebo & hortabor alios non dum ad te conversos, ut & ipsi ad te convertantur.

tur

sur. Neq; enim ullum Sacrificium Dei gratius est, quod  
a nobis Deo præstari potest, quam laudis & gratiarum sa-  
crificium. ut inquit Propheta: Immola Deo sa-  
crificium laudis, & redde altissimo vota tua. Item;  
offerens laudem honorificabit me. Et 1. Pet. 2. dicitur:  
Istis vocati ad hanc lucem, ut enarretis virtutes Dei, ideo  
enim liberamur, ut postea celebremus beneficia Dei, ut  
alios nostro testimonio invitemus ad conversionem &  
ad agnitionem Dei. Hic cultus præcipuus est, juxta il-  
lud quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit  
mihi? Tibi Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Do-  
mini invocabo.

## II. Reguli diligentia & studi-

um considerandi Christi factum ut inde majorem delectationem caperet. De hoc dicit Evang: Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nunciaverunt, dicentes: Filius tuus vivit: Interrogabat ergo horam ab eis qua melius habuerit? Et dixerunt: ei quod heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater quod illa hora, esset in qua dixit ei Jesus: filius tuus vivit. Hoc accepto responso valde delectatur Pater, non solum audita sanitate filij, sed etiam cum primis inde quod tum temporis & illa hora convaluerit filius. Nam cum ea diei parte calor sit maximus, ægrius habent continua febre laborantes. Quare illustrius miraculum apparet quando constat de tempore hujus factis civit qua diei parte Sanatio contigerit.

L. C. Opera Domini Dei nostri in vera pietate & humilitate consideranda sunt. Quo enim magis perpenduntur eo magis animam nostram lætificant. Quod etiam singularis gratiarum actio ad Deum instituitur.

**Psal. III. v. 1. & seq.** Confitebor tibi Domine in toto corde meo: In consilio iustorum & congregatione. Magna opera Domini exquilita in omnes voluntates ejus. Confessio & magnificentia opus ejus: Et justitia ejus manet in seculum seculi. Memoriam fecit mirabilium tuorum misericors, & miserator Dominus: Escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti sui. Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo: Ut illis hereditatem Gentium: Opera manuum ejus, veritas & iudicium. Fidella omnia mandata ejus: Confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate. Redemptionem misit populo suo: Mandavit in æternum testamentum suum: Sanctum & terribile nomen ejus: Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: Laudatio ejus manet in seculum seculi.

### **III. Regulum ad fidem Christi**

convertentem familiam suam. De quo scribit **Evangelium** dicens: Et credidit ipse & domus ejus tota. Videlicet ex hoc altero signo quod fecit Jesus cum venisset à judæa in Galilæam. Laudat **Evangelium** hunc regulum quod non solum ipse Deum ex fide recte colit, sed etiam totam suam domum, hoc est familiam, uxorem liberos, servos & multos aulicos ad Deum convertit, ad pietatem exemplo & exhortatione assuescit ut aula quæ antea fuit profanorum hominum colluvias nunc sit Ecclesia Dei sancta. **L. C.** Hic ergo regulus primum præcipuis viris & aulicis, deinde pijs patribus familias, tum omnibus in genere, cuiuscumque sunt conditionis aut ordinis, imitandus proponatur. Est enim omnium, qui ad Deum per fidem conversi sunt, Dei gloriam inter homines propagare.

**Neqs**

Nec enim fides ita occultari potest, quin se in suis fructibus conspiciendam præbeat. Patres ergo familias, qui pii videri volunt, & familiam non doctrina, ac monitione, castigatione, exemplo assuefaciunt ad pietatem, verbis quidem & nomine se pios præsentant, sed factis negant. Nam nullo gloriae Dei propaganda studio teneri & argumentum est pietatis simulatae, & occultae prophanitatis indicium.

Laudatur Abrahamus quod diligentem curam habuerit suae familiae filiorum suorum & domus suae post se, ut custodirent viam Domini & facerent iudicium & iustitiam. Sic enim scribit Moses Gen. cap: 18. v. 17. 18. 19. Dixitq; Dominus. Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Cum futurus sit in gentem magnam & robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ. scio enim, quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, ut adducat Dominus, propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. Quam pius & religiosus Rex & paterfamilias fuerit David, ipse indicat Psal. 101. v. 1. & seq. Misericordiam & iudicium cantabo: Tibi Domine psallam. Intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Perambulavi in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: Facientes prævaricationes odivi, non adhæsit mihi. Cor pravum declinantem à me, malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequabar superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam, oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

**F**amiliam tuam quæsumus Domine continua pietate custodi, ut à cunctis adversitatibus te protegente sit libera, & in omnibus actibus tuo nomini sit devota, per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Bene

Gen. 18

Psal 101.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7:18.

## Q U Æ S T I O N E S

**Q**uomodo intelligendum quod dicat *Regulus de filio suo: Priusquam moritur? Resp:*

Est hic figura Synecdochicè observanda, qua tribuitur subjecto toti, quod est partis, ejusq; inferioris ac brutæ. Nam anima quæ est potior pars hominis, ut quæ mortalis ad imaginem Dei sic creata, mori id est, extinguvi non potest. Cum ergo homo moritur, corpus extingvitur discendente anima à corpore, & hæc dicitur in Apocalypsi mors prima. Animæ autem mors non ejus interitus est, sed separatio ipsius à Deo autore mortis & miseriz sempiternæ. Et hæc mors dicitur secunda.

2. *An verba Christi nisi signa & prodigia videritis non credetis sint reprobensoria vel informativa? Resp:*

Maldonatus & Emanuel sa isvitæ volunt esse verba informativa: Quasi diceret Christus miraculis opus est ut credatis, itaq; miraculis vos ad fidem adducam. verum rectius taxari aulicum hoc loco abduciq; à miraculis & signis ad Christi omnipotentis vocem, statuimus cum Augustino lib. 4. De consensu Evang: cap: 10. Non enim fides niti debet signis & prodigijs sed verbo Dei, Rom. 10. 17. Signa incredulis data 1. cor 14.

22. Quod notandum contra Mirabiliarios, ut Aug: tract: 13. In Johannem.

